MASTER NEGATIVE NO.

91-80344-6

AUTHOR:

HAUSER, CHR.

TITLE:

C. IULII CAESARIS COMMENTARIORUM DE BELLO GALLICO ...

PLACE:

VILLACH

DATE:

1883

Master Negative #

91-80344-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hauser, Chr.
...C. Iulii Caesaris commentariorum De bello Callico et De bello civili textus, qui vocatur, cum praeceptis grammaticis ab eodem scriptore in libris de analogia traditis comparatio, vom Prof. Chr. Hauser... Villach, Verlag der K.K.Gymnasial-direction, 1883.
xxi p. 27 cm.

At head of title: Vierzehnte jahresschrift des K.K.Staats-gymnasiums in Villach...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 11/26/91 INITIALS MED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 4

Vierzehnte

Jahresschrift

des

k. k. Staats-Gymnasiums

in

VILLACH.

Am Schlusse des Schuljahres 1882/83

herausgegeben von dem

Director *J. Rappold.*

INHALT:

1. *C. Iulii Caesaris commentariorum de bello Gallico et de bello civili textus, qui vocatur, cum praeceptis grammaticis ab eodem scriptore in libris de analogia traditis comparatio.* Vom Professor Chr. Hauser.
2. *Schulnachrichten.* Von dem Director.
3. *Jahresbericht des Studenten-Unterstützungs-Vereines.*

VILLACH 1883.
Verlag der k. k. Gymnasial-Direction.

Druck von Josef Muhr in Villach.

C. Iulii Caesaris commentariorum de bello Gallico et de bello civili textus, qui vocatur, cum praeceptis grammaticis ab eodem scriptore in libris de analogia traditis comparatio.

Nec dubitavimus multa esse, quae et nos praeterierint. homines enim sumus et occupati officiis. Plin. nat. hist. praef. §. 18.

Constat inter omnes Caesarem, clarissimum Romanorum ducem gravissimumque elegantis Latinitatis auctorem [1]), primum cum Cicerone linguam Latinam ex prava loquendi consuetudine ad accuratiorem normam revocare atque ab rusticitate et peregrinitate ad urbanitatem, locutionem emendatam et Latinam, verborumque delectum studuisse dirigere non magis exemplo quam praeceptis, ut de Latinitate illa, quae purum conservaret sermonem omnibus vitiis detractis, optime mereretur. Haec quae dixi in sermonem Latinum merita in primis sunt referenda ad libros, quos Caesar in maximis occupationibus [2]) et, ut ait Fronto [3]), inter tela volantia conscripsit de analogia, de ratione Latine loquendi [4]). His enim libris suam, imperatoriam dicas, auctoritatem interposuit [5]) in quaestione clarissima illa [6]), utrum in lingua sequenda esset ἀναλογία [7]), aequabilitas, proportio, ratio, an ἀνωμαλία [8]), inaequabilitas,

---

[1]) Quintilianus de Caesaris sermone scribit I. O. X, 1, 114: „Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat; exornat tamen haec omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia". Gellius dicit N. A. XIX, 8, 3: „Gaius Caesar — vir sermonis praeter alios suae aetatis castissimi". Ciceronis eximium de Caesare oratore iudicium legitur Brut. 72, 252: „De Caesare ita iudico, illum omnium fere oratorum Latine loqui elegantissime". Cf. Hirtii b. G. comm. VIII. praef. §. 4 sqq.

[2]) Cic. l. l. §. 253.

[3]) B. Parthic. p. 329.

[4]) Cic. l. l.

[5]) Cf. Frid. Kraner. praef. ad Caes. comm. p. X (edit. Lat.).

[6]) De hac Graecorum et Romanorum philosophorum et grammaticorum quaestione illustrissima cf. Lerschius, die sprachphilosophie der alten. part. I et Varro L. L. lib. VIII sqq.

[7]) Varro L. L. X, 74 indicat analogiae definitiones: „Analogia est verborum similium declinatio similis" (quam volunt ii, qui severe in rationem incumbunt), „analogia est verborum similium declinatio similis non repugnante consuetudine communi" (quam Varro ipse probat); cf. VIII, 23 et quas definitiones posteriores grammatici constituunt ap. Lersch. I, p. 159 sqq.

[8]) Cf. Varr. VIII, 23 sqq. et Lersch. l. l.

consuetudo, usus. Docti et philosophi et grammatici cum aut omne studium ponerent in ratione constituenda constitutisque legibus sermonem metirentur, aut solam loquendi consuetudinem secuti insolentia verba formasque fingerent, in sententias diversissimas maximaque vitia saepe incurrebant, id quod non miramur, cum in rebus grammaticis ex usu [1]) ratio nascatur, ex ratione usus. Itaque in hac re non minus loquendi consuetudo quam ratio est observanda [2]). At consuetudo mutatur atque non numquam fit prava lineamque quasi transit [3]). Idcirco ratio tamquam obrussa adhibeatur est necesse. Caesar severiorem quam ceteri rationem secutus primus est conatus incerta usuque fluctuantia ad fixam stabilemque scribendi normam revocare ac sermonem liberiore corruptaque consuetudine expurgare [4]). Et ex Ciceronis quem commemoravi loco et ex indicibus, qui his libris analogicis sunt „de ratione Latine loquendi“ [5]) vel testibus grammaticis [6]) „de analogia“ sive „analogiarum, analogici libri“ intellegitur maxime sibi proposuisse Caesarem, ut constitutis certis de litteris et syllabis, de orthographia et etymologia, de declinatione nominum et verborum praeceptis [7]) omnis inconstantia consuetudinis tolleretur et iam usus ad normam, non norma ad usum dirigeretur. Sed tamen Caesarem non ad arbitrium analogiae quandam rationem statuisse neque eam latius, quam opus esset, patere passum esse, sed angustis finibus aequabilitatem circumscripsisse testantur eius de analogia librorum reliquiae [8]). Quin etiam summum casti sermonis scriptorem non temere a communi usu loquendi recessisse, sed maximam partem incerta tantum modo dubiaque in orthographia [9]) et declina-

---

[1]) Horatius usum in sermone valere vult in luculentissima illa ad Pisones epistula v. 70 sqq.: „Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus, Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi“ ; cf. epist. II, 2, 119. Varro VIII, 22: — „analogia, quae a communi consensu oritur“. IX, 2 (cf. Philolog. XVII. p. 294 sq.): „Consuetudo et analogia coniunctiores sunt inter se quam iei credunt, quod est nata ex quadam consuetudine analogia, et ex hac (consuetudine item anomalia; quare quod) consuetudo ex dissimilibus verbis eorumque declinationibus constat neque anomalia neque analogia est repudianda“. Quintilianus maxime loquendi scribendique consuetudinem (I, 6, 43) sequitur, certissimam loquendi magistram (ibid. § 3), quae auctoritatem superaverit (I, 5, 64).

[2]) Utrumque et similitudinem et dissimilitudinem his in rebus nobis sequendum esse ait Varro VIII, 23.

[3]) Varro scribit L. L. IX, 17: „Consuetudo loquendi est in motu, itaque solet fieri ex meliore deterior, ex deteriore melior“.

[4]) Cicero horum analogicorum librorum respectu scribit Brut. 74, 258: „Expurgandus est sermo et adhibenda tamquam obrussa ratio, quae mutari non potest, nec utendum pravissima consuetudinis regula“ et ibid. §. 261: „Caesar rationem adhibens consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat“.

[5]) Cic. Brut. §. 253.

[6]) Gell. N. A. I, 10, 4. IV, 16, 9. XIX, 8, 3. 7. Charis. p. 117 P. Priscian. p. 707 P.

[7]) Cf. Front. b. Parth. p. 329 (ap. Nipp. p. 752); cf. praeterea Nipp. p. 753 annot. et ipsas Caesaris reliquias.

[8]) Huc in primis pertinet Pompei. Comm. Art. Don. p. 230 Lind.: „Analogia fit octo modis. Ut sint sex illae partes, quae accedunt nomini. —: qualitas, comparatio, genus, numerus, figura, casus. — Ait enim Caesar: Nisi omnia consentiant inter se, non potest fieri, ut nominis similitudo sit“. Cf. Lersch. I, p. 138.

[9]) Huc referri potest, quod legitur ap. Quintil. I, 7, 21: „Optimus, maximus, ut mediam i litteram, quae veteribus u fuerat, acciperent, Gai primum Caesaris inscriptione traditur factum“. Cf. Velius Long. p. 2228 P. Cornut. ap. Cassiod. p. 2284 P. — Haec quamquam inter incerta referuntur, tamen non est infitiandum Caesarem in analogicis quoque libris de hoc medio i et u litterae sono diligentius disputasse.

tione nominum et verborum ad fixam regulam revocasse non solum ex analogicorum librorum reliquiis, sed ex eo potest colligi, quod hi Ciceroni, optimo Latini sermonis existimatori, maxime probabantur [1]). Sed ut ad rem veniam, haec praecepta grammatica in libris de analogia data Caesarem in scribendis quoque commentariis belli Gallici civilisque in universum adhibuisse apertum est. At tamen rursus negare non possumus singillatim haec praecepta a commentariorum scriptura aliqua ex parte abhorrere. Res enim ita se habet. Caesar nominum et verborum declinationum formas cum ad certas probabilesque normas dirigere atque omnia ad unitatis, ut ita dicam, constantiaeque rationem reducere studeret, quo consuetudo vitiosa expurgaretur, interdum insolentiores flexionum formas ad antiquiorum scriptorum loquendi usum reicere cogebatur. Ad rem illustrandam hoc loco mihi liceat commemorare temporis praeteriti, quod dicitur, reduplicati formas obsoletas, ut memordi, pepugi, spepondi, quas Caesar antiquiorum exemplo finxisse traditur [2]). Istae dictiones ex eo nascebantur, quod Ennius ceterique analogiae defensores illa perfecta ad unitatis rationem transferre studebant ex eoque, quod Graeca exempla temporis perfecti, quod παρακείμενον appellant, inter se constantia intuebantur [3]). Caesarem hoc in genere non numquam a vero flexisse non debemus mirari, quia, ut supra dixi, in sermone non minus usus quam ratio valet et ratio sine communis consuetudinis respectu facile in errores incidit [4]). Sed persuasum habeo Caesarem priscas illas abolitasque perfectorum fictiones, ut memordi, pepugi, spepondi cett., quamvis antiquos secutus eas in libris de analogia probaverit, tamen in commentariis non scripsisse. Et si hos libros evolverimus, ubique vulgarem atque communem perfectorum reduplicatorum formam reperiemus, ut poposcit b. G. I, 27, 4. II, 15, 1; depoposcerant b. c. I, 57, 1; depoposcimus III, 85, 4; decucurrerunt b. G. II, 19, 7; decucurrit II, 21, 1; procucurrit b. c. III, 91, 3; procucurrissent II, 41, 6. III, 93, 1; procucurrerunt ibid. §. 3. 5, quae exempla omnia optimorum codicum auctoritate confirmantur. Sed hic illud praetereundum non puto codices manu scriptos et eos quidem optimos in Caesaris commentariis persaepe non optimae Latinitatis, sed posterioris (vel prioris) aetatis orthographiam, quam vocant, exhibere atque non raro a monumentis litterarum in lapidibus insculptis grammaticorumque praeceptis dissentire. Ut paucis exemplis rem absolvam, Caesarem vocabula

---

[1]) Cf. Brut. 72, 253.

[2]) Cf. Gell. VII, 9, 15. Ceterum hic locus, ubi ea, quae supra scripsi, memorantur, proprie ad analogiarum libros non pertinet, quia Ciceronis quoque ibi mentio fit. At negare nolo Caesarem etiam in analogicis libris hanc rationem temporis praeteriti reduplicati formandi esse secutum. Aliud exemplum profert Quintil. I, 5, 63, de quo postea agemus.

[3]) Cf. Neue, lateinische formenlehre (2. auflage), 2. theil, s. 465.

[4]) Cf. Varr. VIII, 23. X, 74, Quintil. I, 5, 63. 6, 3. Idem scribit I, 6, 20: — „abolita atque abrogata retinere insolentiae cuiusdam est et frivolae in parvis iactantiae“ et ibid. §. 43: — „nam fuerit paene ridiculum malle sermonem, quo locuti sint homines, quam quo loquantur“. Gellius scribit N. A. I, 10, 4: „Vive ergo moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus“. Cicero in diiudicandis quibusdam de sermone Latino controversiis consuetudini auribus indulgenti obsequitur; cf. Orat. 47, 157. 48, 159. 160 cett. Lersch. I, 142. De rationis existimatione, utrum recta sit necne cf. Lersch. I, 172 sqq.

causa, casus, divisio cett. ubique geminata littera s scripsisse constat [1]), cum optimi commentariorum codices constanter unam s habeant. Item exploratum habeo Caesarem in libris suis nusquam medium illum u et i litterae sonum u scripsisse, sed ubique i [2]); sed codices commentariorum hac in scribendi ratione saepissime in magna inconstantia versantur. Sic legimus existimo b. G. I, 6, 3. 7, 5. 20, 4. 23, 3. 27, 4. 33, 4. 39. 6, 41, 3. 42, 1. 47, 3. II, 2, 5. III, 3, 1 cett., existumo autem V, 28, 3 BD [3]). 34, 1. 49, 6. VI, 1, 3 AB. 11, 3 ABD. VII, 40, 5 ABCD. 47, 4 cett.; praeter maritimus maritumus b. G. II, 34, 1. III, 16, 1. IV, 23, 5. V, 12, 5. 14, 1 cett. — Praeterea, ne dicam de litteris compositis quu, uu, vu, quae apud antiquos quo (qu, cu), uo, vo sonabant [4]), cum optimi commentariorum codices vulgo quu, uu, vu exhibeant, inter omnes convenit genetivum singularem nominum substantivorum casu primo ius vel ium terminatorum Romanae rei publicae aetate tantum modo in i simplicem exisse, non in duas i; codices autem Caesaris commentariorum iique praestantissimi, ut postea videbimus, non raro i geminam habent.

Nunc quoniam de universa librorum analogicorum natura eorumque cum commentariis belli Gallici civilisque comparatione diximus, separatim praecepta grammatica in his libris tradita persequemur atque ea, quae ad opusculum nostrum pertinent, diligentius cum scriptoris oratione conferemus. Neque mirum videbitur, si ea praecepta, quae potius ad bene scribendi artem, quam ad grammaticam sunt referenda, praetermisero [5]). Sed ad rem veniam.

---

[1]) Quintil. I, 7, 20 scribit: „Quid quod Ciceronis temporibus paulumque infra, fere quotiens s littera media vocalium longarum vel subiecta longis esset, geminabatur? ut caussae, cassus, divissiones: quomodo et ipsum et Vergilium quoque scripsisse manus ipsorum docent". Cf. Corssen., aussprache, I, 282 sq. (2. aufl.). Brambach., die neugestaltung der lateinischen orthographie, s. 273 ff. Wagner. orthogr. Vergil. p. 469. Ribbeck. proleg. crit. ad Vergil. p. 444 sq.

[2]) Praeter Quintil. I, 7, 20 et Vel Long. p. 2228 P. cf. Cornut. ap. Cassiod. p. 2284 P.: „Lacrumae an lacrimae, maxumus an maximus — scribi debeant, quaesitum est. Terentius Varro tradidit Caesarem per i eiusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere: inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam". Cf. Brambach. p. 107 sqq. Neue II. §. 54. Corssen. I. p. 331 sqq.

[3]) Codices commentariorum auctore Nipperdeio, quem, quia Dübneri magnam editionem criticam inspicere non potui, ad conficiendum opusculum meum praecipue adhibui, haec sigla habent:

A = codex Bongarsianus I,
B = „ Parisinus I,
C = „ Vossianus I,
D = „ Egmondanus,
E = „ Vratislaviensis I,
a = „ Parisinus II,
b = „ Leidensis I,
c = „ Scaligeranus,
d = „ Cuiacianus,
e = „ Hauniensis I,
f = „ Vindobonensis I,
u = scriptura vulgata. Cf. Nipp. quaestion. Caesar. p. 37 sqq. et p. 252.

[4]) Cf. Quintil. I, 7, 26. Neue I. §. 23. Corss. II. p. 97 sqq. Büchel. declinatio Lat. p. 10.

[5]) Conveniunt omnes in eo, quod commentarii de bello Gallico perscripti sunt genere simplici ac nudo, locutione emendata et venusta. Cf. Cic. Brut. 75, 262. Hirt.

Priscian. Inst. Gramm. p. 545. P (Keil. II. p. 14.) [1]): „Pompeiii quoque genetivum per tria i scribebant (antiqui), quorum duo superiora loco consonantium accipiebant, ut si dicas Pompelli: nam tribus i iunctis qualis possit syllaba pronuntiari? quod Caesari doctissimo artis grammaticae placitum a Victore quoque in arte grammatica de syllabis comprobatur."

Pompeiii genetivum ex eo profectum esse puto, quod Ciceronis et Caesaris temporibus i semivocalis duabus vocalibus interiecta propter molliorem plenioremque sonum (ij similem) haud raro i geminata scribebatur, ut aiio, Maiia [2]), Gaiius, Pompeiius cett. [3]). Hac scriptura nisum Caesarem analogiam secutus, ex qua genetivus tot syllabas quot nominativus habere deberet [4]), eiusmodi genetivi, ut Pompeiii, Gaiii, Petreiii cett. ut tribus i clauderentur, si quidem Prisciani verbis, id quod non dubito, credimus [5]), in libris de analogia praecepisse haud absonum videtur. Sed qua ratione hos genetivos triplici i scribendi utebatur Caesar eoque auctore alii quoque grammatici eam commendabant, haec numquam in communem scribendi usum abiit posteaque a viris doctis, cum esset molesta ac supervacua, reiecta est.

Itaque facile est intellectu codices Caesaris de bello Gallico et civili commentariorum nusquam hanc genetivi formam exhibere, sed ubique nomen Pompei casu secundo aut simplici i est scriptum aut, id quod rarius legitur, duplici. Ubi autem genetivus Pompei una i littera codicum optimorum, Parisinum primum (B) dico praecipue et, quod attinet ad libros de bello civili scriptos, Parisinum secundum (a), auctoritate comprobatur, loci sunt hi:

Pompei b. G. VII, 6, 1 B; b. c. I, 2, 6 a. 3, 2 a. 3, 4 a. 29, 3 a. 30, 1 a. III, 19, 1 a. 22, 1 a. 56, 1 a. 67, 3 a. 70, 2 a. 79, 6 a. 80, 3 a. 81, 3 a. 82, 2 a. 5 a. 83, 1 a. 3 a. 84, 2 a. 85, 2 a. 3 a. 87, 1 a. 88, 1 a. 93, 3 a (bis). 5 a. 96, 1 a. 97, 3 a. 103, 5 a. 106, 4 a [6]).

Pompeii (duabus i) autem legitur: b. c. I, 2, 1. 8, 4. 9, 1. 13, 4. 24, 4. 28, 1. 2. 38, 1. 61, 3. II, 18, 5. 7. III, 10, 1. 11, 3. 16, 4 [7]). 25, 3. 41, 5. 43, 1. 67, 2. 78, 2. 102, 2.

---

praef. ad b. G. lib. VIII. Quintil. X, 1, 114. Tac. dialog. c. 21 et praeter hos Nipp. l. l. p. 5 et Kran p. 14 sq. — Sed libri de bello civili cum deteriore codicum condicione nobis traditi sint, tum saepius neglegentiae vestigia exhibeant; cf. Nipp. l. l. et Kran. p. 19 sqq.

[1]) Cf. Nipp. p. 754 sqq. et Dinter. Vol. III. (Caesaris Hirtique fragmenta) p. 127 sqq. Keil., „Grammatici Latini" testimonio Dinteri laudavi.

[2]) Quintil. I, 4, 11 scribit: „Sciat (grammaticus) etiam Ciceroni placuisse aiio Maiiamque geminata i scribere".

[3]) Cf. Neue I. p. 83. Corss. I. p. 18. Büchel. p. 38. Bramb. p. 195. Ribbeck. proleg. ad Verg. p. 426 sq. In commentariis autem Caesaris huiuscemodi vocabula codicum consensu ubique una i scribuntur, ut Pompeius b. c. I, 2, 1. 3 (bis). 3, 1. 4, 4. 6, 1. 9, 5. 14, 3. 19, 3. 24, 1. 26, 1. 27, 2. 28, 3. 29, 1. 32, 8. 33, 2. 34, 3. II, 32, 2 cett.; Gaius b. G. V, 27, 1. VI, 6, 1. 33, 2. 40, 4. VII, 40, 3. 81, 6. 90, 6 et alibi persaepe; Aurunculeius b. G. II, 11, 3. IV, 22, 5. V, 24, 5. 28, 3. VI, 32, 4 et in ceteris huius generis nominibus, quae omnia hic enumerare quid utilitatis afferat, non video.

[4]) Cf. Varr. ap. Charis. p. 59 sq. Bramb. p. 192 sqq.

[5]) Non assentior Lachmanno (ad Lucr. p. 371), qui Priscianum haec ex nihilo hausisse iniuria opinetur; cf. Bramb. p. 195. Caesell. Vind. ap. Cassiod. p. 2317 sq.

[6]) Pompei codicis a auctoritate legitur quoque b. G. VIII, 52, 4. 5. 53, 1.

[7]) Dinter cum Kranero hoc loco (c. 16, 4) pro librorum manu scriptorum Pompeii summam scribunt Summam suam.

Itaque cum genetivi Pompeï tricies, Pompeii autem tantum modo vicies codicis boni a confirmati scriptura reperiantur, nobis dicere licet hanc genetivi in unam i contractam formam, quippe quae Caesaris omniumque eiusdem aetatis scriptorum propria fuerit, unicam rectam esse et ubique in Caesaris libris restituendam [1]). Est enim praeceptum satis notum rei publicae Augustique imperatoris, si Propertium et Ovidium excipimus [2]), temporibus omnia haec nomina substantiva casu primo ius vel ium terminata patrico simplici i esse dicta et scripta [3]). Si Caesaris commentariorum libros manu scriptos aspexerimus, tum inveniemus illa quidem nomina, quae dicunt appellativa, ubique fere i geminata scribi, ut auxilii, consilii, imperii, negotii cett., sed propria nomina modo hanc, modo in unam i contractam formam meliorum codicum auctoritate prae se ferre. Exempla sunt haec: Aemilii b. G. I, 23, 2, Valeri Bcb. b. G. I, 47, 4, Silii et Velanii III, 8, 2, Titurii V, 27, 1. 39, 1. VI, 37, 8, Tasgetii V, 29, 2, Clodii VII, 1, 1, Commii VII, 76, 1, Calidii b. c. I, 2, 4. 5, Domitii I, 19, 2. 20, 1. 4. II, 18, 2. III. 36, 8. 37, 1. 5. 38, 2. 79, 6, contra Domiti I, 23, 2, Scriboni I, 26, 3, Canini I, 26, 5, Afranii I, 37, 3. 39, 1. 41, 2. 70, 1. 74, 3. 6. 84, 2. II, 17, 3, sed Afrani I, 43, 4. 49, 1, Vibullii I, 38, 1 a. III, 15, 8 Ciacconius (Bibuli codd.) [4]), Nasidii II, 4, 4, Petreii I, 39, 1. 74, 3. II, 17, 3 [5]), Treboni II, 5, 3 a. III, 20, 1 a. 2 a, Galloni II, 18, 2 a, Attii II, 34, 2, Atti autem II, 23, 1 ab, Laelii III, 7, 1, Octavi III, 9, 6 a, Antoni III, 34, 1 a. 67, 5 a, Cassi III, 36, 4 a, Lucili (sic Nipp., Luci a) III, 82, 5 (scriptura codicum dubia), Lucii III, 96, 1, Triarii III, 92, 2, Septimii III, 104, 3, Corfinii I, 20, 1, sed Corfini II, 28, 1 a, Brundisii I, 25, 2. 3. III, 24, 1. Brundisi legitur III, 14, 1 a. 24, 1 a. 87, 4 a. Igili I, 34, 2, Dyrrhachii III, 5, 2 (sic Stephanus, cum codices ab accusativum habeant, ceteri Dyrrhachio). 78, 3, Dyrrhachi autem III, 26, 2 a. — Ex his locis sequitur, quam inconstans in his genetivis scribendis codicum ratio sit [6]). Sed ne longus fiam, Caesarem ceterosque eiusdem aetatis scriptores huiuscemodi genetivos simplici i scripsisse inter omnes constat. — Pompei. Comment. Art. Don. p. 233. ed. Lind. (Keil. V. p. 199): „Lectum est hoc saepius, praecipue apud Varronem. Ille dicit: Lac non debemus dicere, sed lact. Sed dixit Caesar contra ipsum rem valentissimam, nullum nomen duabus mutis terminari.“

Vox lactis in Caesaris commentariis tantum modo ablativo singulari legitur, lacte b. G. IV, 1, 8. V, 14, 2. VI, 22, 1. b. c. III, 48, 1. Et pro certo est statuendum Caesarem in libris suis casu primo ubique lac scripsisse, cum eius regula „nullum nomen duabus mutis terminari“ sermone Latino ipso sit stabilita [7]).

Gell. XIX, 8, 3 sq.: „C. Caesar in libris, quos ad M. Ciceronem de

[1]) Ita Dintero et Kranero ubique Pompei scribere placuit.
[2]) Cf. Neue I, 91 sq.
[3]) Cf. Neue ibid. p. 85 sqq., Büchel. p. 37. Kühner. „ausführliche grammatik“ I, 284 sqq. Lachmann. ad Lucr. p. 325. — Nomina autem adiectiva semper in duas i desinunt; cf. Neue II. §. 18.
[4]) Dinter posteriore loco Vibulli scribit, sed Kraner Vibullii.
[5]) Dinter ubique Petrei scribit, Kraner Petreii.
[6]) Cf. Hirt. b. G VIII, 50, 1 Antonii, sed ibid. §. 2 Antoni.
[7]) Cf. Büchel. p. 1 et 6. Neue I. §. 42.

analogia conscripsit, harenas vitiose dici existimat, quod harena numquam multitudinis numero appellanda sit, sicuti neque caelum neque triticum; contra autem quadrigas, etiamsi currus unus, equorum quattuor iunctorum agmen unum sit, plurativo semper numero dicendas putat, sicut arma et moenia et comitia et inimicitias. — Tunc prolato libro de analogia primo verba haec ex eo pauca memoriae mandavi. Nam cum supra dixisset, neque caelum neque triticum neque harenam multitudinis significationem pati, Num tu, inquit, harum rerum natura accidere arbitraris, quod unam terram et plures terras et urbem et urbes et imperium et imperia dicamus, neque quadrigas in unam nominis figuram redigere neque harenam multitudinis appellatione convertere possimus?“

Commentarii Caesaris cum hoc praecepto ubique congruunt. Nomen harenae in iis non legitur. Sed tamen, etsi Caesar hanc quam commemoravi scribendi normam dedit, ut vox harenae nisi singulari numero dici non deberet, apud alios scriptores in hisque maxime apud poetas haud raro nobis multitudinis numero occurrit[1]).

Vox caeli apud Caesarem bis reperitur singulari numero b. c. I, 68, 1. II, 5, 3. Multitudinis numero caeli nisi a poetis et scriptoribus, excepto Servio ad Verg. Aen. I, 331, ecclesiasticis, quos dicunt, non usurpabantur [2]).

Vocabulum tritici semel est scriptum genetivo singulari b. c. II, 18, 4 [3]). Ceterum, quod sciam, hoc nomen nusquam plurali numero in libris veterum legitur[4]). Quadrigae in his commentariis non reperiuntur, contra ea arma saepissime et constanter multitudinis numero, ut arma (accusativo) b. G. I, 27, 3. 29, 1. 2. II, 20, 1. 28, 2. III, 18, 8. 21, 3. 22, 4. 28, 3. IV, 14, 2. 4. 19, 2. 37, 2. V, 26, 3. 37, 1. 39, 4. VI, 38, 2. VII, 4, 2. 4. 11, 2. 12, 3. 4. 5 et alibi quam plurimis in locis, quos omnes proferre haud magno in discrimine equidem posuerim, cum hoc vocabulum ceteri quoque Latini scriptores tantum modo pluraliter usurpent.

Eadem ratione apud Caesarem moenia quoque plurativo tantum numero nobis occurrunt, ut moenia b. c. II, 16, 2. III, 40, 2. moenibus b. G. II, 6, 2. 31, 1. III, 12, 3. VII, 22, 5. b. c. I, 13, 1. III, 80, 6. Cum optimae posteriorisque Latinitatis aetate nisi multitudinis numero vox moenium non scriberetur, singulari moene Ennium posuisse testatur Festus p. 145. — Item comitia numero plurali leguntur b. G. VII, 67, 7. b. c. I, 9, 2. 5. III, 1, 1. 2, 1. 82, 5, sed cum hoc vocabulo locus designatur, ubi comitia habentur, ut apud ceteros scriptores, ita apud Caesarem singulariter reperitur b. c. I, 3, 3 (sed lectio hoc loco est dubia; cf. Nipp. p. 126).

Vocem inimicitiarum Caesar ubique in commentariis pluraliter scribit: inimcitiae b. c. I, 4, 2. inimicitiis ib. III, 83, 5 ab. inimicitias ib. I, 3, 4. III, 16, 3. b. G. VI, 12, 7. Cicero quoque hoc nomine tantum modo pluraliter utitur praeter philosophiae libros, in quibus non numquam singularis inimicitia vi ac potestate animus inimicus nobis occurrit, ut T. D. IV, 7, 16. 9, 21 [5]).

[1]) Cf. Neue I, 411.
[2]) Cf. Neue I, 415 sq.
[3]) Hic annotare volo commentariorum de bello Gallico libri VIII itemque belli Alexandrini, Africani, Hispaniensis in hac quaestione raro me rationem habuisse, quia hi libri omnium consensu Caesaris non sunt.
[4]) Cf. Neue l. c. p. 404 sq.
[5]) Cf. Krebs. Antib. s. v. inimicitiae. Neue I, 407 (finis) sq.

Charis. p. 104 P. (Keil. I. p. 130): „C. Caesar de analogia secundo: fagos, populos, ulmos."

In commentariis Caesaris tantum modo fagum accusandi casu singularis numeri invenimus b. G. V, 12, 5, cum cetera vocabula Caesar in his libris non usurpaverit. Ex hoc Caesaris praecepto potest intellegi ea aetate has similesque voces optimis scriptoribus auctoribus constanter fere secunda declinatione flexas esse, quamquam testibus grammaticis fagus casu primo et quarto numeri pluralis etiam fagus efficit [1]).

Priscian. p. 707 P. (Keil. II. p. 248 sq.): „In is desinentia longam, cuiuscumque generis sint, Latina ablata s addita tis faciunt genetivum, ut haec lis litis, hic et haec dis ditis, —. Hic et haec Samnis, huius Samnitis. Sic Caesar de analogia." — Vox litis nisi semel accusativo singularis numeri nusquam in libris belli Gallici et civilis legitur, b. G. V, 1, 9. Nomen Samnitis non est in commentariis. Legi a Caesare traditae convenientia aliquot nomina propria in commentariis sunt posita: Dis (de deo inferorum dictus, nam adiectivum contractum dis ditis pro dives divitis apud Caesarem non legitur) casu sexto Dite b. G. VI, 18, 1. Curiosolites nomin. VII, 75, 4. accus. b. G. II, 34, 1. III, 7, 4. 11, 4. Ancalites nomin. V, 21, 1.

Ceterum negare non possumus hoc a Caesare positum praeceptum Latino sermoni plane congruere excepto fortasse, quod glis casu primo i longam habens patrico non tis, sed ris terminatur.

Idem ibid.: „Illa quoque tam in is quam in er finita nomina regulam servant in er terminatorum id est accepta is faciunt genetivum, ut hic pulvis et pulver pulveris, hic cucumis et cucumer cucumeris, hic cinis et ciner cineris, hic vomis et vomer vomeris. Praeterea Caesar declinat pubis puberis; quidam, ut Probus, pubes puberis, quidam puber puberis." In commentariis Caesaris voces cineris cucumeris vomeris non leguntur, cum pulvis nominativo singulari reperiatur b. c. II, 26, 2, pulverem accusativo b. G. IV, 32, 1. b. c. II, 43, 2. Vox puberis in commentariis tantum modo pluraliter nobis occurrit, ut puberes b. G. V, 56, 2. b. c. II, 13, 3. III, 9, 3; item impuberes b. G. VI, 21, 4 (impubes b). b. c. III, 14, 3. Caesar in proponendo hoc praecepto non in errore versabatur, quoniam vicissitudo is et er syllabarum apud scriptores Latinos non inusitata erat [2]) atque in vocabulo vomeris nominativus vomer potius quam vomis in usu erat [3]).

Priscian. p. 708: „Haec pollis pollinis. Sic Charisius; Probus autem et Caesar hoc pollen pollinis declinaverunt." Sed hoc vocabulum pollinis cum non sit in Caesaris commentariis, praeterire volo [4]). Charis. p. 117 P.: „Turbo Turbonis, si proprium sit hominis nomen; turbinis, si procellam voluerimus exprimere, aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum. Sed Caesar de analogia secundo turbonem, non turbinem etiam in tempestate dici debere ait, ut Cato Catonis, non ut homo hominis."

[1]) De hoc ceterisque huiuscemodi vocabulis cf. Neue I. §. 122. Kühner. I. § 109. p. 309 sq.

[2]) Cf. Büchel. p. 7 sq. Corss. II, 278 sq.

[3]) Cf. Nene p. 176.

[4]) Pollis, quem Charisius aliique veteres grammatici memorant, nusquam legitur, sed tantum modo pollen; cf. Gossrau. Gr. Lat. §. 78, 2. annot. 1.

Illud quidem nomen turbinis in commentariis mihi nusquam occurrit, sed tamen, ut supra commemoravi, non dubito, quin Caesar, clarissimus ille casti integrique sermonis Latini scriptor, hoc in genero a sua ratione discesserit. Neque mirum est, nam declinandi rationem turbo turbonis iam pridem obsoletam inusitatamque fuisse quis ignoret [1])? Et cum ceteros rei publicae posteriorisque aetatis scriptores recognoverimus, tum ubique, quando de vi ventorum veteres loquuntur, hic turbo (turben), huius turbinis inveniemus. Optimo igitur iure dicere possumus Caesarem huic praecepto in secundo de analogia libro tradito defuisse atque turbo turbinis, non turbo turbonis enuntiasse et scripsisse.

Quintil. I. O. I, 5, 63: „Mihi — placet Latinam rationem sequi, quousque patitur decor (die „schicklichkeit"). Neque enim iam Calypsonem dixerim ut Iunonem, quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi."

Hic rursus facere non possum, quin fatear Caesaris legem talia nomina flectendi a communi eiusdem aetatis loquendi scribendique consuetudine aberrasse. Et profecto non convenit id praeceptum cum optimis commentariorum codicibus, qui non raro Graecae terminandi declinandique rationis sunt auctores. Exempla leguntur haec: Allobrogas (accus. plur.) b. G. I, 14, 3. VII, 64, 7. b. c. III, 63, 5. Lingonas b. G. I, 26, 6. Curiosolitas b. G. II, 34, 1. III, 7, 4. Sallyas b. c. I, 35, 4, quamquam haec, quae scripsi nomina, Gallica, non Graeca sunt. — phalangas b. G. I, 52, 5 A (BD) E. Cretas b. G. II, 7, 1. Discorides et Serapion [2]) b. c. III, 109, 4. Epiros ib. c. 12, 4. Hegesaretos ib. c. 35, 2. Phoenice (ablat.) ib. c. 3, 1. Achillas [3]) ib. c. 111, 1. Ex his exemplis concludi potest Caesarem in nominibus Graecis Graecam quoque terminandi flectendique rationem non repudiasse. Itaque non dubito, quin Caesar nomen Calypsus Graecorum modo declinaverit, cum declinatio Calypso Calypsonis — Calypsonem iam dudum a communi doctorum usu abiisset [4]). Item mihi persuasum est elegantissimum Romanorum scriptorem, quamvis in libris de analogia editis, ut Castor Castoris, Hector Hectoris (paenultima producta) diceremus [5]), praecepisset, re vera tamen talia nomina ex consuetudine suae aetatis pronuntiasse et scripsisse. Cuius rei vestigia quaedam praeter exempla, quae supra posui, commentariorum codices prae se ferunt b. G. VI, 17, 2 Apollinem, quamquam antiqui Latini sermonis analogiam secuti Apollo Apolones Apolonem flexerant [6]). Itaque Caesar hac in re a sua scribendi norma discessit. —

[1]) Cf. uberem locorum collectionem ap. Klotz. lex. Lat. s. v. turbinis, ubi constanter turbo turbinis legitur. Neue I, 164 sq.

[2]) Cicero tamen in iis nominibus propriis, quae Graece nominativo in on, genetivo in onos (paenultima producta vel correpta) exeunt, casu primo plerumque terminatione in o, non in on utitur, ut Philo, Plato, Zeno, Meno cett.; cf. Quintil. I, 5, 60 et Neue I, 156 sqq.

[3]) Huiuscemodi nomina casu primo sine s littera finiendi iam pridem abolita erat consuetudo; cf. Quintil. l. l. §. 61. Neue I, 35 sqq. Hauser „De Quintiliani praeceptis et usu nomina Graeca declinandi" p. 10 (progr. scholast. Saaz. 1875).

[4]) Cf. Neue I, 300 (sub fin.) sq. 314 (sub fin.) sq. 343 sq.

[5]) Hanc declinandi rationem nulla ex alia re nisi ex analogia natam esse testis est Varro L. L. VIII, 72: „Secundum illorum rationem debemus secundis syllabis longis dicere Hectorem Nestorem. Est enim ut quaestor praetor Nestor, quaestorem praetorem Nestorem". Cf. Neue I, 172.

[6]) Cf. Büchel. p. 6. Corss. II, 260 sq. Neue I, 165.

Charis. p. 98 P. (Keil. I. p. 122 sq.): „Ne illa quidem ratio recepta est, quam C. Caesar ponit in femininis, ut puppim, restim, pelvim . . . . . . Hoc enim modo et ab hac cani dicemus et ab hoc iuveni, pani“ [1]).

Vox puppis bis est in commentariis nominativo plurali b. G. III, 13, 2 et genetivo plur. ib. c. 14, 4; vocabula restis, pelvis, canis, iuvenis apud Caesarem non legi, panis autem tantum modo genetivo singulari b. c. III, 48, 1 et accusativo plur. ib. §. 2 reperitur. Ceterum hoc loco memoratu mihi dignum videtur Ciceronis et Caesaris aetate et paulo infra hos ablativos in i desinentes multo crebrius quam imperatorum temporibus esse scriptos [2]). Sed ad inceptum redeamus. In Caesaris commentariis optimorum codicum auctoritate et fide formas inter i et e multis locis variari res est omnibus satis nota. Tantum modo eorum vocabulorum mentionem facere volo, quae mihi summi momenti videntur, ut turri (abl.) b. G. V, 43, 6. VII, 27, 1. b. c. II, 10, 1 (bis). 11, 3. 4. 22, 1. navi b. G. IV, 21, 1 (cod. b hic, ut alias saepius nave habet). 9. 25, 4. 5. 26, 1. 2. 27, 3. sed nave b. c. II, 32, 12. III, 106, 4 ab. igni b. G. I, 4, 1, 53, 7. VI, 19, 3. 44, 3. VII, 4, 10 (igne B). b. c. II, 10, 5. 6. 16, 1, sed igne b. c. III, 8, 3. Constanter reperitur classe b. c. II, 3, 1. 3. 4, 3. 6, 6. 7, 2. 23, 5. 43, 3. III, 4, 4. 17, 3. 23, 1. 3. 40, 2. 5. 100, 1. 7. 111, 4. Ablativus orbe legitur b. G. IV, 37, 2. V, 35, 1 [3]). Praecepta a Caesare et posterioribus grammaticis posita, quod substantiva feminini generis casu accusandi in im exeuntia sexto i finiri deberent, communi loquendi usu saepius sunt turbata [4]).

Charis. p. 98 P. (Keil. l. c.): „Omnium nominum, quae sunt neutri generis et in e terminantur, ait Plinius Caesarem scisse eosdem esse ablativos, quales sunt dativi singulares.“

Cum hac scribendi norma plane consentiunt vocabula in commentariis posita: mari (abl.) b. G. III, 8, 1. 9, 7. b. c. II, 1, 3. III, 15, 1. 44, 1. 66, 3. 78, 3. Vocem maris ceteraque omnia neutra casu primo in e exeuntia sexto littera i claudi inter omnes constat. Sed primus Caesar hac statuta lege inconstantiam i et e litterarum soni sustulit, cum non ignoremus liberae rei publicae aetate mare quoque ablativum non numquam legi [5]). Ab eo, quod Caesar in secundo de analogia libro tradidit, praecepto tamen nomina dissidere videntur, quae urbes designant [6]). Haec enim nomina, quae inde-

[1]) Oratio scriptoris est hiulca et mendosa; equidem haud dubito, quin non nulla vocabula interciderint. Cf. Bramb. p. 169. Nipp. p. 756.

[2]) Id sequitur ex Charis. p. 98 P.: „Amni Maro (georg. III, 447): Secundo defluit amni. Ubi Plinius eodem libro (sermonis dubii VI): ab antiquis, inquit, quos Varro reprehendit, observatio omnis illa damnata est, non quidem in totum. Dicimus enim, inquit, ab hoc canali siti tussi febri. Maiore tamen ex parte forma mutata est; ab hoc enim cane orbe carbone turre falce igne . . . . . nave classe dicimus“. Cf. Neue I. §. 57.

[3]) De ablativo orbi, qui aliquotiens apud scriptores Latinos legitur, cf. Neue I, 222. Charis. p. 112.

[4]) Cf. Büchel. p. 51. Postremo de huiuscemodi nominum ablativis in i sive in i et e desinentibus cf. Neue I. § 56 sqq.

[5]) Cf. Charis. p. 111: „Mare. Varro de gente populi Romani III: A mare operta oppida, pro a mari, ut refert Plinius. Idem, inquit, Antiquitatium humanarum libro XII: Ab Erythraeo mare orti“. Cf. Neue I, 229 sq. Kühn. I. §. 71, 1.

[6]) Mirum non videbitur, quod numerale mille non commemoravi, quia apud omnes omnium aetatum scriptores singulariter non flectitur.

clinabilium loco habentur, apud omnes scriptores semper fere in ablativo e habent [1]), ut apud Caesarem Bibracte b. G. I, 23, 1. VII, 63, 6. 90, 8 (semel invenitur casus qui dicitur locativus Bibracti VII, 55, 4 ABCD). Arelate b. c. I, 36, 4. II, 5, 1. —

Charis. p. 95 P. (Keil. ib. p. 119 in.): „Animal animale facit, ut autumnal autumnale —, quae patiendi non sunt —. Plinius Secundus animal, non animale ait dici debere. C. Caesar, quasi indiscretum hoc sit, ait, l littera nominativo singulari neutra finita nomina eandem definitionem capere, quam capiunt e littera terminata: huic animali et ab hoc animali, huic puteali et ab hoc puteali.“ —

In commentariis solum ablativum tribunali repperi b. c. II, 18, 3. III, 21, 2. Alia vocabula aliis casibus leguntur: vectigal b. c. III, 32, 6. vectigalia b. G. I, 18, 3. 36, 4. b. c. I, 35, 4. animalia b. G. VI, 17, 3. 19, 4 Praeterea est tribunal b. c. III, 20, 1. Ex his exemplis effici potest Caesarem vocabula, quae attuli, nominativo singulari sola syllaba al, non ale terminasse [2]), item clarissimum scriptorem regulam in libro de analogia secundo propositam usu quoque servasse.

Charis. p. 108 P. (Keil. ib. p. 133): „Plinius ait inter cetera etiam istud C. Caesarem dedisse praeceptum, quod neutra nomina ar nominativo clausa per i dativum ablativumque singulares ostendant, iubar tamen ab hac regula dissidere. Nam ut huic iubari dicimus, ab hoc iubare dicendum est, ut huic farri et ab hoc farre.“

Quia in commentariis, quod sciam, huius modi nominum ablativi singulares non leguntur, de hoc praecepto non longius dicam, nisi quod ex eo perspici potest, quam angustis finibus analogiam circumscripserit Caesar neque eam analogiam esse illum voluisse, quae communi dicendi scribendive consuetudini repugnaret.

Charis. p. 114 P. (Keil. ib. p. 141): „Panium Caesar de analogia libro II. dici debere ait“. — ib. p. 69 extr. P. (Keil. ib. p. 90): „Panis — genetivum pluralem Caesar de analogia II. panium dixit, sed Verrius panum sine i“.

Confusis thematis in i et consonantes (cf. paulo infra partum et partium) cadentibus atque ium et um terminationum inconstantia, quae per totam Latinitatem duravit, effectum est, ut grammatici ipsi, utra utri formae praeponenda esset, inter se discreparent [3]). Cum vero genetivus pluralis panium vel panum non solum in Caesaris commentariis, sed etiam in ceterorum scriptorum Latinorum libris excepto Apuleio, qui semel panum in metamorphosesin (4, 22. p. 287) habet [4]), nusquam inveniatur, mihi verisimile videtur hunc genetivum pluralem in antiquo sermone Latino haud facile fuisse. Scribit enim Charis. p. 69: „Ego autem neutrum (nec Caesaris nec Verri praeceptum) probo, nec puto panem plurali numero dici posse, quoniam unica res est et ad pondus redigitur, nec quisquam veterum nisi singulariter dixit [5]). At Charisii sententia ideo plane recta esse non potest, quod pluralem

[1]) Cf. Neue I, 232.

[2]) Cf. Neue I, 185 sq. 233 sq. — Quintilianus I, 6, 17 tribunale pro tribunal molestissimae diligentiae perversitati ascribit.

[3]) Cf. Büchel. p. 40 sqq. Kühn. I. §. 74, 3 a.

[4]) Cf. Neue I, 259.

[5]) Cf. Varr. L. L. VIII, p. 143.

numerum panes (etiam panibus) saepius reperimus: Caes. b. c. III, 48, 2. Val. Max. VII, 4, 3. Plin. N. H. XX, 15, 58. XXXIV, 11, 24. 25 cett. [1])

Charis. p. 114 P. (Keil. ib. p. 141): „Partum Caesar in analogicis. — — Sed consuetudo, inquit Plinius, fecit partium“.

In commentariis semel est genetivus pluralis positus b. c. I, 35, 4, qui locus partium, non partum codicum consensu praebet. Ciceronem quoque ubique partium scripsisse testimonio sunt libri manu scripti, ut pro Quinct. 21, 69. Divin. in Caecil. 15, 48.

Cum autem genetivus partium semper fere [2]) nobis apud antiquos occurrat et Plinium „consuetudinem fecisse partium“ scripsisse testis est Charisius, nobis dicere licet Ciceronis et Caesaris aetate atque posterioribus temporibus genetivum pluralem partium pervulgatum fuisse et Caesarem ipsum partium scripsisse, ut sortium (b. G. I, 53, 7). artium (VI, 17, 1). pontium (VII, 35, 2 cett.) — Charisius non nullis locis genetivos contractos affert [3]), ut murum, quam formam in um Ciceronem in deorum natura lib. II. (63, 157) usurpasse ait: „Nec enim homines murum aut formicarum causa frumentum condunt“, ubi autem codices nostri omnes murium habent [4]). In Caesaris commentariis similes contracti genetivi leguntur: locupletum b. c. III, 110, 5. potentum (cod. b) b. c. I, 4, 3. mensum [5]) b. G. I, 5, 3 A, contra mensium VI, 18, 2 (mensuum m. pr. B. Litteram u geminatam nisi longitudinem vocalis u nihil aliud significare posse pro certo sumendum est [6]). b. c. II, 14, 4. Atrebatum [7]) b. G. V, 46, 3. Sontiatum b. G. III, 20, 2 ABCDE; sed genetivum ium finitum cetera nomina propria efficiunt nominativo singulari in as desinentia, ut Apollonatium b. c. III, 13, 5. 25, 4. Larinatium b. c. I, 23, 5. Tarusatium et Vocatium b. G. III, 23, 5. Tolosatium b. G. I, 10, 1.

Gell. IV, 16, 9: „C. Caesar in libris analogicis omnia istiusmodi (i. e. dat. sing. nom. IV. decl.) sine i littera dicenda censet“. — Res est inter omnes nota Ciceronis et Caesaris aetate et postea praeter antiquiorem dativi quartae declinationis in ui terminationem contractam quoque in u valde usitatam fuisse [8]). Cum autem hos dativos contractos a Caesare praescriptos, meliores igitur ab eo iudicatos esse tradiderit Gellius, utrum Caesar hanc ipsam contractam terminationem usurpaverit necne, nulla est causa quaerendi, nisi commentariorum codices iique optimi nos credere prohibent scriptorem in conficiendis libris suis omni ex parte suam rationem esse secutum. Codices enim optimi, ut mox

[1]) Cf. Neue I, 415.
[2]) Cf. Neue I, 271.
[3]) Cf. Lersch. I, 191 sq.
[4]) Cf. Neue I, 280.
[5]) De hac genetivi forma cf. Neue I, 259 (fin.). sq.
[6]) Mensuum saepius in scriptorum Latinorum codicibus legitur. Cf. Neue l. c. Praeterea haec geminata u littera genetivo singulari (cf. Neue I, 352), nominativo et accusativo pluralibus nominum quartae declinationis, ut taceam de monumentis litterarum in lapidibus insculptis (cf. Neue I, 359), apud scriptores Latinos haud raro nobis occurrit (cf. Neue l. c.), praecipue apud Plinium. Cf. Detlefsen. Symb. philolog. Bonnens. p. 712 sqq. Bramb. p. 131 sq. Ribbeck. proleg. ad Verg. p. 449.
[7]) Sic scribit Dinter cum Frigell. ex codd. optt., Atrebatium Nipp.
[8]) Cf. Büchel. p. 56 (fin.) sq. et praecipue Neue I. §. 95. — M. Varronem autem et P. Nigidium non aliter elocutos esse et scripsisse quam huic senatui, (domui), fluctui ceteraque his consimilia pariter testatur Gellius ibid. §. 1.

videbimus, semper fere longiorem in ui formam habent, cum deteriores libri manu scripti saepius contractam praeferant. At vero codicibus et iis quidem optimis his in rebus plurimum fidei propterea habere non debemus, quod librarii dativos in u contractos longioribus in ui formis, quippe quae a grammaticis Latinis semper regulares, ut hoc verbo utar, iudicarentur posterioribusque temporibus in communi usu essent, commutabant. Itaque Caesarem, quoniam hos breviores dativos, quos deteriores commentariorum libri scripti persaepe praebent quosque in primis Sallustius quoque creberrime scribit [1]), diserte et plane praescripsit, si non in omnibus huiuscemodi vocabulis [2]), at in plurimis posuisse mihi quidem persuasum est. Nunc est mihi propositum omnia huiuscemodi vocabula, quae dativo singulari in commentariis leguntur, enumerare:

equitatui b. G. I, 18, 10 (equitatu u contra codd.). 39, 5 (equitatu u cum „Vossiano“). 42, 5 (uno codicum consensu). 52, 7 (equitatu cum uno pessimo u). VII, 4, 9. b. c. III, 89, 4. exercitui b. G. I, 23, 1 (exercitum C, exercitu f „mss. 3“). 40, 7 (exercitu u cum uno et altero det.). 46, 4 (exercitu (B)? et cum uno det. u). II, 16, 5. V, 20, 4. VII, 41, 1. 89, 5 (postremo loco exercitui B e „reliqui“, exercitu cum 2 dett. u). VI, 44, 3 (exercitu b u). b. c. I, 39, 3. 48, 3. III, 13, 2 (hoc loco eius exercitus ab, ei exercitus e). 43, 2. 57, 3. 78, 1. 89, 4. — b. c. III, 74, 2 exercitui, quod iniuria Nipperdeius contra codicum et editionum consensum in ablativum exercitu mutavit [3]). Sed contracta in u forma optimis codicibus nisa legitur b. c. III, 96, 2 exercitu abc. — usui dativus omnium codicum consensu ubique in commentariis legitur, quamobrem haud scio an Caesar ipse sic scripserit. Loci sunt hi: b. G. I, 38, 3. II, 9, 5. 12, 3. III, 14, 5. IV, 20, 2. 25, 1. 29, 4. 31, 2. V, 1, 4. VII, 11, 6. 41, 3. 55, 7. b. c. I, 19, 1. 45, 4. II, 7, 1. 8, 3. 15, 3. 35, 5. — contemptui b. G. II, 30, 4. consensui VII, 29, 6 e et reliqui (consensu (B)? b c). receptui VII, 47, 1. b. c. III, 46, 1. senatui b. c. I, 1, 2 a alii et sec. m. b (senatu u). 9. 5. portui b. c. II, 1, 2 (portu b). III, 100, 1. irrisui b. c. II, 15, 1. quaestui b. c. III, 60, 1 (quaestu b). Sed optimorum codicum scriptura servata est brevior dativi forma casu b. G. VI, 42, 1, ubi tantum modo deteriores c e casui habent [4]). Praeterea constat nomina neutri generis quartae declinationis apud omnes scriptores Latinos dativo sola u littera terminari. Apud Caesarem legitur exemplum b. c. III, 88, 5: „Sagittarios funditoresque omnes sinistro cornu obiecerat“ (codices meliores abc exhibent sinistro cornu, cum u in sinistro cornu habeat, quod Kranerus textui, qui vocatur, inseruit, mea quidem sententia non recte). Sed in loco b. c. III, 89, 2: „Sinistro cornu Antonium, dextro P. Sullam, media acie Cn. Domitium praeposuerat“ sinistro cornu non dativus interpretandus est, sed ablativus, ut ex media acie apparet [5]).

Ex omnibus, quos attuli locis, ut omnia paucis absolvam, sequitur, ut

[1]) Ut luxu Iug. 6, 1. usu 4, 1. 14, 1. 5. 27, 5. 36, 1. 37, 4. 43, 3. 47, 2. 54, 6. 91, 1. 93, 5. 98, 3 (testimonio Linkeri).
[2]) A constantiae laude veteres scriptores hac in re longissime afuisse antiquissima litterarum monumenta evincunt.
[3]) Cf. Kran. ad h. l.
[4]) Caesarem in Anticatone dominatu et in Dolabellam actionis I. lib. I. ornatu dativos scripsisse testis est Gellius ibid. §. 8.
[5]) Cf. Neue I, 358.

optimi antiquissimique commentariorum libri manu scripti paucis exemplis exceptis constanter longiorem in **ui** formam praebeant, cum deteriores, in his praecipue Leidensis primus (b), saepius terminationem in **u** contractam exhibeant, scriptura igitur optimorum codicum a vera Caesaris scribendi ratione aberret ab eiusqe praecepto huiusce modi nomina dativo singulari claudendi in analogicis libris tradito longe absit.

Gell. IX, 14, 25: „C. Caesar in libro de analogia secundo huius die et huius specie dicendum putat". — Etiam in quinta declinatione genetivi et dativi singulares in **e** contracti quin optimae Latinitatis temporibus et paulo infra vulgatiores usuque magis triti fuerint quam longiores in **ei** terminationes, quae Gellii aetate propter rationem grammaticam scribebantur, minime dubitari potest[1]).

Atque pro certo statuendum est Caesarem, qui in huiusce modi quintae declinationis vocabulis hanc breviorem in **e** formam in secundo de analogia libro dici debere voluerit, eam igitur longiori in **ei** praeposuerit, constanter fere sic scripsisse, etsi in commentariorum codicibus perpauca horum in **e** contractorum genetivorum dativorumque vestigia reperiuntur [2]). Uno enim loco Nipperdeius optimorum codicum auctoritate nisus genetivum acie posuit b. G. II, 23, 1 A (B) D E b c f; alibi autem constanter textu, qui vocatur, formam communem in **ei** recepit. Et quidem recte, nam huius genetivi in **e** contracti soli deteriores codices iique perraro sunt auctores, praeter loc. b. G. VII, 83, 5: „adeundi tempus definiunt, cum meridies esse videatur", ubi meridies scribit Nipperdeius cum Dintero et Kranero, cum optimi codices exhibeant meridie A B C b c e, quod, si scriptura, id quod dubito, vera est, genetivus est a supplendo vocabulo antecedente temporis suspensus [3]).

Nunc exempla afferam, quae in commentariis sunt: **rei** b. G. I, 14, 7. 20, 5. 21, 4. 32, 2. 39, 1. 40, 10. 44, 6. II, 5, 2. 10, 4. 22, 1. III, 3, 4. 12, 3. 21, 3. 23, 5. 24, 3. 26, 3. IV, 9, 3. 16, 6. 23, 5. 25, 3. 27, 4. V, 29, 4. 46, 4. 5. 57, 1. VI, 11, 4. 21, 3. 5. 22, 2. 33, 5 (Ri ACD, rei PRB). 39, 3. 40, 6. 7. VII, 2, 3. 14, 5. 17, 3. 29, 2. 4. 34, 1. 44, 1. 56, 2. 4. 57, 4. 58, 4. 64, 3. 77, 11. 13. 90, 7. b. c. I, 8, 2. 3 (bis). 9, 2. 3. 5. 16, 1. 24, 5. 26, 4 (bis). 28, 2. 29, 1. 71, 1. 73, 1. 82, 1. 85, 6. 86, 2. II, 17, 3. 22, 1. 26, 3. 29, 2. 38, 2. III, 5, 2. 15, 7. 16, 4. 18, 4. 19, 4. 25, 1 32, 2. 33, 1. 38, 1. 41, 4. 42, 3. 47, 7. 53, 2. 58, 4. 59. 3. 61, 3. 64, 4. 78, 3. 79, 3. 105, 1. 109, 5. 110, 1. 6. Codices omnes cum una voce genetivum **rei** exhibeant exceptis locis b. G. VI, 33, 5, ubi **Ri** ACD habent, quod quominus ex **re** ortum sit nihil obstat, et VII, 56, 4, quo in loco c **re** praebet, forsitan non erremus, si dicimus Caesarem ipsum ubique **rei**, non **re** genetivum scripsisse. **diei** b. G. I, 23, 1. 47, 2. 48, 2. 51, 1. II, 11, 6. 12, 1. 33, 6. IV, 13, 5. 14, 3. 23, 2. V, 9, 8. 10, 1. 35, 5. 40, 5. 46, 1. 53, 1.

[1]) Cf. Prisc. p. 780 sq.: „Veteres frequentissime inveniuntur similem ablativo protulisse in hac declinatione tam genetivum quam dativum cett." Serv. ad Verg. georg. 1, 208: „Terminatio e secundum antiquos regularis genetivus". Gell. l. l. §. 21: „In casu dandi, qui purissime locuti sunt, non faciei, uti nunc dicitur, sed facie dixerunt". Cf. Bücheler. p. 34 sq. et p. 54. Neue I, 379.

[2]) Cf. Neue I, 379.

[3]) Cf. Kühn. Gr. §. 92, 3 c et Herzogii in sua Caesaris editione annot. ad h. l., qui codicum lectionem aliqua probabilitate defendere studet.

58, 2. VII, 11, 5. 16, 2 (**dei** m. pr. A, cui mendum illatum est pro **die** genetivo, qui teste Servio ad Verg. G. I, 208 in **e** secundum antiquos regularis genetivus fuit [1]). 35, 4. 68, 2. 88, 6. b. c. I, 14, 3. 47, 1. 64, 8. 65, 5. 80, 3. II, 5, 4. 14, 6. III, 32, 5. 67, 2. 71, 1. 72, 4. 76, 1. 2. 3. 77, 3. 82, 3. 89, 3. 96, 1. 97, 4. **fidei** b. G. V, 41, 4. **fidei** (dat.) V, 3, 7 (**fide** b). b. c. II, 32, 2. 42, 4. **spei** b. G. VII, 63, 9. b. c. II, 5, 2. III, 16, 3. **spei** (dat.) b. c. II, 39, 5; sed, ut dixi, **acie** b. G. II, 23, 1 A (B) D E b c f. **aciei** casu dativo b. c. III, 89, 4. 93, 4.

Ex his, quae posui, exemplis perspicuum est codices commentariorum eosque optimos ubique fere formas longiores in **ei**, non illas in **e** contractas habere eorumque scripturam cum Caesaris praecepto in libro de analogia secundo tradito non consentire. Sed tamen id addere volo, quod vocabula **pridie, postridie, cotidie**, quae quidem locativi [2]), quos dicunt, fuerant, sed tamen eandem quam genetivi contracti terminationem habent, cum illo praecepto Caesaris congruunt. Leguntur autem in commentariis his locis: **pridie** b. G. I, 23, 3. 47, 2. IV, 13, 5. V, 17, 1. 40, 4. b. c. I, 14, 3. 67, 2. 74, 2. II, 34, 5. **postridie** b. G. I, 23, 1. 48, 2. 51, 1. II, 12, 1. 33, 6. IV, 13, 4. V, 10, 1. b. c. I, 67, 6. III, 6, 2. 41, 1. **cotidie** b. G. I, 48, 4. III, 17, 5. IV, 31, 2. V, 57, 3. VI, 7, 5. VII, 14, 4. 36, 3. 44, 2. 77, 10. b. c. I, 26, 1. 78, 2. III, 25, 3. 47, 4. 49, 6. 61, 2. 102, 2 [3]).

Charis. p. 86 P. (Keil. ib. p. 110 sq.): „Is homo idem compositum facit (et singulariter et pluraliter) [4]), nisi quia Caesar libro secundo singulariter **idem**, pluraliter **isdem** dicendum confirmat; sed consuetudo hoc non servat."

Usque ad Caesaris tempora hoc pronomen nominativo plurali **eisdem, isdem** et **eidem** fuisse res est inter omnes notissima [5]). Item nominativus contractus **idem** pro **iidem** usitatus fuit. Sed ut ad rem veniam, optimi codices commentariorum formam breviorem **idem** confirmant ex **eidem** sive **iidem** contractam: b. G. I, 31, 1 **idem** ABCDEf. V, 42, 5 B mss. plerique. VI, 13, 5 a mss. vetustiores. b. c. II, 28, 1 ab aliique, contra **iidem** u. Eodem modo quo nominativus dativus et ablativus omnibus fere locis contracti sunt: **isdem** b. G. III, 3, 3 DEf, **hisdem** ABC. III, 12, 4. II, 3, 5 ABCD Vaticanus 3864; **eisdem** e f. II, 7, 1 f; **hisdem** [6]) ADE. VII, 35, 4 **hisdem** B. 41, 2 B plerique; **eisdem** b et alii u. b. c. I, 81, 2 a, sed **eisdem** cap. 82, 3. **isdem** II, 19, 5 **hisdem** a. 23, 1 (**iidem** u). III, 31, 2 ab **eisdem** u. 39, 1 a. 81, 1 a. 94, 4 a. 101 a. **Eisdem** praeter locum, quem modo posui, legitur b. G. I, 17, 4. b. c. I, 8, 4. Itaque recte dici potest commentariorum, qui vocatur, textum hoc in pronomine cum Caesaris in analogico libro secundo scribendi lege proposita congruere praeterquam quod nusquam nominativus

[1]) Cf. Wagner. ad Verg. G. I, 208. Die genetivus legitur ap. Sallust. Iug. 21, 2. 52, 3, sed diei 51, 2. 97, 3. 106, 2; cf. Neue l. l.

[2]) Cf. Gell. X, 24, qui tamen in eo errat, quod haec vocabula adverbia copulata, non locativos, ut aiunt, interpretatur.

[3]) Vox **hodie** propterea huc referri non potest, quod est ablativus (ortum ex **hod-die**), non locativus; cf. Büchel. p. 52.

[4]) Haec vocabula uncis inclusa addenda censet Ritschelius monum. epigr. tria p. 19. Cf. Dinter p. 128.

[5]) Cf. Büchel. p. 20. Brambach. p. 140. Kühn. I. §. 134. Neue II, 201 sq.

[6]) **Hisdem** nihil aliud esse nisi **isdem** res est notissima; cf. Büchel. l. l. Brambach. l. l. Neue II, 199 sqq.

pluralis **isdem** reperitur. Praeterea hic mihi liceat annotare, quam inconstans sit codicum scriptura in vocabulis **ii**, **iis** cett [1]).

Charis. ibid.: „Se et **sese** pronomina ita distinguit (Caesar), ut **se** dicamus, cum aliquem quid in alium fecisse ostendimus, ut puta: ille dixit **se** hoc illi fecisse; cum autem in se ipsum, tunc dicamus **sese**, velut: dixit **sese** hoc sibi fecisse.“ Cum doctorum huius aetatis omnium una voce pronomen **sese** a **se** tantum modo eo differat, quod **sese** homo, qui significetur, maiore vi ac potestate efferatur, atque in veterum scriptorum libris in universum hoc pronominum se et sese non observetur discrimen [2]), quod Caesarem fecisse auctor est Charisius, non insolens nobis videbitur, si scriptura commentariorum ab hac Caesaris scribendi norma permultis locis discrepuerit. Et mea quidem sententia Charisius id praeceptum Caesaris non ad verbum reddidit. Sed si in commentariis ipsis illud discrimen a Caesare factum non numquam observari potest, haec consensio tamen fortuita est intellegenda, cum persaepe, praecipue in sese pronomine discrepantia harum rerum nobis offeratur. Ad rem illustrandam non nulla exempla afferam et primo ea, quae cum lege, quam Caesar statuisse dicitur, congruant. Quam rem maxime in pronomine se accidere facile est intellectu: b. G. I, 3, 7: se (Orgetorigem) suis copiis suoque exercitu illis regna conciliaturum confirmat. 8, 3: negat (Caesar) se more populi Romani posse iter ulli per provinciam dare. 36, 5: Haeduis se obsides redditurum non esse. 44, 13: — magno se illum praemio remuneraturum. II, 32, 2: se id — facturum (Aduatucis). b. c. I, 1, 2: senatui rei publicaeque se non defuturum pollicetur. 85, 12: se nociturum nemini. Cf. ibid. 8, 3. 33, 2. 67, 2. 87, 1. II, 32, 4. b. G. I, 26, 6. IV, 8, 3 cett. — b. G. I, 17, 6: Quin etiam, quod necessario rem coactus Caesari enuntiarit, intellegere sese (Liscum), quanto id cum periculo (sc. sibi) fecerit. 12, 3: reliqui sese fugae mandarunt. Talia exempla, ut postea videbimus, multis locis leguntur. II, 19, 6: — ipsi sese confirmaverant. VI, 38, 5: reliqui sese confirmant. Alia exempla horum pronominum, quae permulta nobis in commentariis occurrunt, laudare nolo, ut, si postea haec pronomina, quo differant, inter se comparabo, eos locos proferre possim.

Deinde huius loci est ea exempla enumerare, ubi id, quod supra commemoravi, discrimen Caesaris non servetur: b. G. I, 6, 3: Allobrogibus sese vel persuasuros — existimabant (Helvetii). 44, 3: non sese (Ariov.) Gallis, sed Gallos sibi bellum intulisse. ibid. §. 11: sese (Ariov.) illum (Caes.) non pro amico, sed hoste habiturum. §. 12: Quodsi eum interfecerit, multis sese nobilibus populi Romani gratum esse facturum. IV, 7, 5: sese (Germanos) unis Suebis concedere. V, 27, 1: sese (Ambior.) pro Caesaris in se beneficiis plurimum ei confiteri debere. Sed nolo omnia huiuscemodi exempla afferre, cum mihi statuerim hic ea annotare, quae in legendis commentariis de se et sese pronominibus eorumque apud Caesarem usu et frequentia memoratu digna inveni. Et persuasum habeo ex collectione locorum eos, qui opusculum meum legerint, intellecturos esse differentiam, quae inter commenta-

---

1) Vitiosam formam hii, quae imperatorum aetate in consuetudinem venerat, in codices quoque influxisse atque confundendis pronominibus hi et ei, **ii** spatium dedisse constat. In commentariis Caesaris creberrime codices hi, hii pro ii et his pro iis exhibent; cf. b. G. V, 2, 1. 10, 2. 22, 1. VI, 12, 4. VII, 27, 2. 38, 4. 41, 5 cett.; cf. Büchel. p. 20, Neue II. §. 14 sq.

2) Cf. Neue II, 182 sqq.

riorum scripturam et praeceptum a Caesare traditum fuerit. Pronomen sese plerumque poni, si homo vel, ut grammaticorum modo loquar, persona vi efferatur, cum omnes exploratum habeant, tum ex iis locis, quos attulero, magis etiam apparebit. Caesar **sese** nisi de hominibus nusquam scribit [1]). In commentariis Caesaris ceteris omnibus in locis se, non sese positum est, si hoc pronomen praepositionibus **a** (vel **ab**), **ad**, **ante**, **apud**, **circum**, **contra**, **de**, **erga**, **in**, **per**, **post**, **praeter**, **pro** iungitur excepta praepositione **inter**, quae duobus locis sese recipit: b. G. I, 9, 4. VI, 11, 1, cum alibi apud Caesarem semper inter se (quadragies bis) legatur.

Sese persaepe ponitur in enuntiatis, quae dicimus constructionem accusativi cum infinitivo, cum persona vi effertur, in primis subiectum accusativi cum infinitivo premitur, praecipue in initio enuntiati: b. G. I, 3, 8: — per tres potentissimos populos totius Galliae sese potiri posse sperabant. ibid. 11, 4: Ambarri Caesarem certiorem faciunt, sese depopulatis agris non facile ab oppidis vim hostium prohibere. 14, 6: — sese (Caesarem) cum iis pacem esse facturum. 20, 3: sese tamen et amore fraterno et existimatione vulgi commoveri. 30, 2: intellegere sese, eam rem — accidisse. ibid. §. 4: sese habere quasdam res. 34, 1: velle sese de re publica cum eo agere. 35, 4: si non impetraret, **sese**, quoniam M. Messala, M. Pisone consulibus senatus censuisset, uti . . . . defenderet, **se** Haeduorum iniurias non neglecturum. Huiuscemodi loci in commentariis sunt permulta: b. G. I, 6, 3. 17, 6. 31, 7. 34, 2. 36, 2. 37, 2. 39, 1. 42, 4. 44, 2. 3. 5. 11. 12. II, 6, 4. 13, 2. 15, 1. 6. 28, 2. 30, 4. IV, 11, 4. 27, 6. V, 1, 7. 8. 3, 6. 7. 20, 2. 24, 6. 26, 4. 27, 1. 11. 41, 1. 5. VI, 7, 6. 33, 4. VII, 26, 2. b. c. I, 3, 5. 7, 7. 19, 3. 20, 5. 26, 3. 30, 5. 44, 4. 60, 1. 64, 3. 72, 4. II, 17, 2. 20, 6. 21, 5. 31, 4. 40, 3. III, 23, 3. 31, 4. 38, 2. 57, 2. — Sed simplex **se** in his, quas dixi, sententiis ubique est positum, ubi subiectum non premitur: b. G. I, 2, 5: — pro multitudine autem hominum angustos se finis habere arbitrabantur. ibid. 5, 2: Ubi iam se ad eam rem paratos esse arbitrati sunt. 7, 6: respondit diem se ad deliberandum sumpturum; cf. praeterea I, 11, 3. 13, 6. 14, 4. 16, 5. 20, 2. 6. 22, 2 cett.

Postremo ea exempla commemorare volo, quibus Caesaris inter **se** et **sese** pronomina refutetur discrimen: b. G. I, 11, 6: Allobroges fuga se ad Caesarem recipiunt. ibid. 26, 1: alteri se, ut coeperant, in montem receperunt. 46, 2: se ad suos recepit. Ita legitur phrasis **se recipere** praeter locos, quos laudavi: b. G. I, 25, 5. 46, 2. 48, 6. II, 11, 6. 12, 1. 19, 5. 24, 1. III, 6, 3. 12, 3. 16, 3. 21, 3. 26, 6. IV, 2, 3. 15, 3. 16, 2. 19, 1. 4. 27, 1. 33, 3. 34, 1. 35, 3. 38, 2. 3. V, 14, 4. 34, 4. 37, 4. 50, 5. VI, 27, 4. 40, 6. 41, 3. VII, 13, 2. 20, 6. 12. 78, 4. 80, 9. 82, 2. 88, 4. b. c. I, 16, 3. 43, 5. 45, 1. 2. 51, 6. 75, 1. 3. II, 14, 4. 25, 5. 26, 1. 4. 34, 6. 41, 6. 42, 4. III, 14, 2. 28, 6. 37, 7. 38, 3. 45, 4. 46, 2. 6. 50, 1. 54, 2. 75, 5. 76, 1. 97, 2. 102, 1. 6.

Sese recipere invenitur in sententiis, quae plane congruant iis, quae

---

1) Huc quoque pertinent vocabula, quibus designentur homines, ut copiae, manus, exercitus, multitudo, quibus pariter adiungitur sese. Ceterum cum apud alios scriptores sese de rebus quoque usurpetur (cf. Cic. de Fin. II, 31, 99. Brut. XVIII, 71. Neue l. l.), errat Kritzius, qui ad Sallust. Iug. 4, 6 confirmaverit, sese pronomen tantum hominibus coniungi. Cf. Sall. Iug. 17, 7. 53, 8. Cat. 2, 3.

se habent. Loci autem hi leguntur: b. G. I, 25, 6: qui in montem sese receperunt. III, 24, 3: si Romani sese recipere coepissent. Praeterea sese verbo recipiendi adiunctum mihi occurrit: V, 44, 13. VI, 8, 8. 29, 1. 41, 1. VII, 70, 7. b. c. I, 44, 5. II, 20, 4. 35, 6. 37, 2. III, 9, 8. 17, 6. 45, 6. 51, 7. 57, 5. 67, 6. 69, 3.

Eodem modo reperitur **sese fugae mandare** (b. G. I, 12, 3. II, 24, 2) et **se fugae mandare** (b. G. V, 18, 5. VII, 67, 6); **sese cum aliquo coniungere** (b. G. I, 37, 4. II, 3, 4. 26, 1) et **se — coni.** (b. G. III, 17, 3. IV, 16, 2. VII, 39, 3. b. c. III, 97, 5); **sese aliquo conferre** (b. c. I, 5, 5. 51, 5. II, 42, 5) et **se aliq. conf.** (b. G. II, 13, 2. III, 28, 2. b. c. III, 94, 5. 7); **sese ad pedes alicuius proicere** (b. G. I, 31, 2) et **se — proic.** (b. G. I, 27, 2. b. c. II, 12, 3); **sese dedere** (b. G. III, 27, 1. V, 20, 2. 21, 1. VII, 13, 2. b. c. II, 22, 1. 44, 1. III, 99, 3) et **se dedere** (b. G. II, 15, 2. 5. 28, 2. 32, 1. III, 13, 9. 16, 4 cett.) **sese continere** (b. G. II, 18, 3. 30, 2. V, 44, 5. 50, 1. VI, 24, 3) et **se continere** cett. — Ceteras huiuscemodi φράσεις, quas multas in commentariis legimus, praeterire mihi licebit. Sed eos, qui Caesaris sunt studiosi, attentos reddere volumus ad id, quod pronomine **sese** plerumque vel subiectum accusativi cum infinitivo vel, id quod multo rarius est, obiectum[1]), quod dicimus, cum vi effertur atque vulgo pronominibus coniunctis **se ipsos** vel **se ipsi** respondet. Cum autem **sese** idem iam valeat, quod **se ipsum vel se ipsos**, excepto uno loco[2]) nusquam in Caesaris libris legitur **sese ipsum** vel **sese ipsos** (**sese ipse** vel **sese ipsi** sive verborum ordine permutato **ipse sese** cett.), sed ubique simplex pronomen **se**, quamquam apud Ciceronem **ipse (ipsi) sese** haud raro nobis occurrit [3]). Apud Caesarem haec exempla allaturus sum: b. G. V, 37, 6: noctu ad unum omnes se ipsi interficiunt. VI, 24, 6: victi proeliis ne se quidem ipsi cum illis virtute comparant. ibid. 37, 10: — se ipsi adhortantur. VII, 20, 3: qui se ipse ut munitione defenderet. ibid. 28, 3: pars ibi, cum angusto exitu portarum se ipsi premerent, cett. 38, 5: ipsos se inter multitudinem militum occultasse. 70, 3: hostes se ipsi multitudine impediunt. 73, 4: se ipsi acutissimis vallis induebant. b. c. III, 75, 5: — ut ipsi incolumes se ad agmen reciperent. Qui loci omnes a Caesaris praecepto, quod de **se** et **sese** illum dedisse tradidit Charisius, discrepant.

Ut omnia paucis comprehendamus, ex his, quos enumeravi, locis apparet **sese** pronomen a simplici **se** eo tantum modo differre, quod illo persona maiore vi ac potestate plerumque dicatur, cum discrimen Caesaris in secundo de analogia libro factum commentariorum scripturae vulgo non conveniat. Perfacile quoque est intellectu **sese** multo rarius quam **se** pronomen in libris scriptorum legi. Equidem in comparandis **se** et **sese** pronominibus, quae in Caesaris commentariis inveniuntur, repperi **se** exceptis iis locis, ubi id pronomen praepositione quadam iungitur, quadringenties sexagies semel, contra **sese** tantummodo centies quadragies sexies (praeter hos, quos supra memoravi, **inter sese** locos), ita ut **se** triplo plus quam **sese** positum sit.

Isidor. Origg. XI, 2, 33: „**Mortuus** ex qua parte orationis declinetur,

1) Cf. Caes. b. G. IV, 32, 2: — confestim sese subsequi iussit; cf. VII, 83, 7. b. c. II, 21, 1. Sallust. Iug. 22, 4. 71, 5.
2) B. G. II, 19, 6: — ipsi sese confirmaverant.
3) Cf. Neue l. l.

incertum est. Nam sicut ait Caesar, ab eo, quod est **morior**, in participio praeteriti temporis in **tus** exire debuit, per unum scilicet **u**, non per duo. Nam ubi geminata est littera **u**, nomen est, non participium, ut **fatuus, arduus.**“ Commentarii Caesaris codicum omnium consensu habent **mortuus** b. G. I, 4, 4; **mortuo** VI, 13, 9. b. c. III, 18, 2. 91, 3; alibi apud Caesarem **mortuus** non legitur. Ego autem pro certo habeo Caesarem non **mortuus** in commentariis scripsisse **u** littera geminata, quia rei publicae aetate pro **uus, uum** semper **uos, uom** ponebatur [1]). Itaque liquet Caesarem in libris analogicis quaesivisse, utrum **mortuos** forma esset ponenda, an secundum analogiam, velut ab **oriendo ortus**, contracta **mortus** [2]). Ceterum annotare mihi liceat participium **mortuus** nominis quoque vice fungi [3]).

Priscian. p. 1140 P. (Keil. III. p. 239): „Caesar non incongrue protulit **ens** a verbo **sum es**, quomodo a verbo **possum potes: potens.**“

Hoc participium **ens** in commentariis [4]) nusquam legi mirum nobis non videbitur, cum id in sermone Latino nemo usurpaverit. Annotat enim Quintilianus VIII, 3, 33: „Multa ex Graeco formata nova ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quaedam admodum videntur, ut **ens** et **essentia**, quae cur tantopere aspernemur, nihil video, nisi quod iniqui iudices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus.“

Haec habui de Caesaris de analogia librorum reliquiis earumque cum eiusdem scriptoris oratione, quam commentarii belli Gallici et civilis exhibeant, comparatione quae dicerem. Utinam legentium animi quae scripsi benevole accipiant.

Villach, a. d. IV. Kal. Mai. MDCCCLXXXIII.

Chr. Hauser.

1) Cf. Neue I, 65 (fin.) sqq., Corssen. II, 97 sqq., Büchel. p. 10.
2) **mortus** legitur in Fastis Capitolinis ad annum 578 (= C. I. L. I. p. 436); cf. Bramb. p. 92.
3) Cf. Klotz. lex. s. v. **mortuus**.
4) De participio **entis** cf. Krebs. antib. s. v. **entis**.